



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda S. Coloniensis Ecclesiae. Hoc Est: Liber Pastoralis

Ferdinand <Köln, Erzbischof>

Coloniae Agrippinae, 1614

Exorcismi Ecclesiastici Varij, & primùm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39761

Demum dicatur super eos:

Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimiss. & c. cum Oratione: Indulgentiam & remissionem peccatorum, & c.

Aspergantur aqua benedicta, & ad propria remittantur.

EXORCISMI ECCLESIASTICI

VARI,

ET PRIMVS

INSTRUCTIO PASTORVM ADVERSVS INFESTATIONES DAEMONVM, & incantationum maleficia.

I.



Postolus hortatur Ephesios induere armaturam Dei, vt possint resistere aduersus insidias diaboli: & proposita difficultate certaminis, monet eos, vt in omnibus sumant scutum fidei, in quo possint omnia tela nequissimi extinguere, & perfecti stare.

II. Cum autem hostis ille capitalis nullas vnquam det nobis inducias, & nihilo minori clade etiam hodie grassetur, eadem arma etiam nunc sumenda sunt, quando neque minoris sunt efficaciam, neque minus necessaria, & cum iuxta inueteratum odium nostri omnium maximè nobis inuideat æternam salutem, eiusque subsidia nobis subtracta cuperet; tamen hac parte per violentiam nulli nocere potest. Nam peccatorum maculas, quæ solæ possunt impedire iter ad regnum Dei, non potest inuitis aspergere, sed in his quæ ad corporis incolumitatem pertinent, & in externis possessionibus (Dei permissione) homini etiam per violentiam magnas calamitates inferre potest; vt constat de beatis Iob, Antonio, & alijs. In quibus tamen gloriosissimè vincitur, dum hæc detrimenta per patientiam & obedientiam suscipiuntur, tanquam de manu Dei nobis illata, in vindictam peccatorum, vel in exercitium virtutum. Et in his qui sic affecti sunt, non est necessarium, imo nec expedit quidem remedium querere.

LI

III. V. O.

III. Voluit tamen Christus propter varias causas, in Ecclesia esse legitimam potestatem frenandi furores diaboli, & per exorcismos & adiurationes succurrendi hominum infirmitati, & in eum vsus etiam hodie solenniter ordinantur Exorcistæ, quibus tribuitur potestas, vt per manus impositionem, & oris officium eijciant dæmones de corporibus obsessis. Sed vt olim fuerunt, qui hanc potestatem infeliciter vsurparunt; quemadmodum legitur in Actis Apostolorum cap. 19. de filiis Sceuæ Iudæi: ita etiam hodie multi inueniuntur, qui vel cupiditate, vel alia quauis temeritate aut ignorantia ducti, sumunt quidem sibi audacter officium exorcizandi, sed non cum eo fructu, qui inde sperari posset, si grauius & cum debita pietate negotiū tractaretur. Sunt etiam qui leuiter & per errorem à dæmone æstimantur obsessi, cum naturali morbo detineantur, de quo medicus consulendus esset: & pecorum languores, ex debilitate naturæ contracti, vel ex eo quòd veneni intoxicatione corrumpitur pabulum aut potus, aut quòd peste vel alia quauis tabe corruptus aer stabulū inficit, sæpè temerè adscribuntur incantationibus & maleficijs, vbi tamen in veritate nihil tale subest. Sed vt naturalis est morbus, ita naturali & humana industria, adhibenda essent remedia. Dum autem, vt fit Dei permissione, verè obsidentur homines, aut rerū temporalium detrimentis per maleficia & incantationes affliguntur, non est illicitum ad Ecclesiastica remedia confugere; & eorum officium postulare, qui publico ritu etiam hodie ad hoc in Ecclesia ordinantur. Sed talis quærat Exorcista, qui iuxta id quod in ordinatione Exorcistarum dicitur, à corde & pectore suo prius eiecerit dæmonem, quem ab alterius corpore conatur expellere: & iuxta Pauli admonitionem iustitia & pietate vitæ, ac viuacitate fidei bene sit armatus. Requisitus autem, fretus potestate quam in ordinatione accepit, non ad quæstum, sed tanquam ex officio, & ex charitate subuenturus proximorum necessitati, confidenter agat. Et ad corroborationem fiduciæ in mentem reuocet Christi verbum: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super demones, & nihil vobis nocebunt.* In actione autè prouidus sit, & cū dæmone agat tanquā callidissimo hoste, & qui obstinatissimo odio hominē persequitur. Proinde nihil ei fidatur, & ab omni curiosâ quæstione abstinetur, & ante omnia ad verā pietatem instruat affictos, vt temporale damnum in lucrum spiritus conuertant, quo patientius ferant, si fortè non consequantur desideratam liberationem.

IV. Cū autem hodie multi occultis erroribus, hæresibus, aut etiam superstitionibus contra fidei veritatē impliciti teneantur, & his de causis dæmonū illusionibus magis obnoxij reddantur; primò examinentur diligenter, qui eiusmodi molestijs, vel in se, vel in suis iumentis affliguntur: & si simpliciores sint, & doctrinæ parum capaces, saltem instruantur in rudimentis veræ fidei, & seriò moneantur, quòd in omnibus quæ ad fidem pertinent, se obedi-

obedienter subijciant doctrinæ, traditionibus Catholicæ Ecclesiæ, & in illa generali confessione fidei fortiter confirmentur.

V. *Secundò, iuxta Can. Si per sortiaros,* in decretis, moneantur vt de peccatis suis (per quæ homines dæmonum seruituti tanquã mancipia subijciuntur) seriò doleant, & benè recollecta conscientia plenè confiteantur, ac diligenter præparati sacram Eucharistiam religiosè suscipiant: idq; in tota familia fiat, ad hæc eleemosynis, ieiunijs & orationibus diligenter insistant: & siquidem id impetrari possit, vt quo plus affliguntur, eo liberaliores erga pauperes iuxta suum statum, & erga Deum patientiores redderentur, pulchrè hostis tela in tuum ipsius caput retorquerentur. In quo genere victoriæ exstat pulcherrimum exemplū Patriarchæ Iob. Serio autem instruatur, quorū vaccæ vel alia iumenta vexantur incantationibus, ne cuiquã impudent, neq; suspicentur vicinos vel alios homines id fecisse, qui fortè sunt innocentissimi; nec aures præbeant vanis hominū promissionibus, qui ineptis & fallacissimis indicijs nituntur deprehendere, an mulier ista vel alia sit incantatrix, &c. Per quas obseruationes diaboli illusionibus exponuntur qui talibus fidunt; & iniquis suspicionibus capiuntur erga homines sæpe innocios, cum graui iniuria proximi, & suarū animarū detrimento. Et ob id diabolus sæpè talia vel suggerit, vel per alios homines malos suggeri procurat, additis aliquando indicijs, quibus suspiciōnē augeat, quã præ damni dolore qui tēporalibus plus satis additi sunt, egrè sibi patiūtur eximi. Nullo modo ergo suspicētur, hunc vel illū sibi fecisse, ne credant id suggerētibus, sed peccatis suis tantum impudent, propter quæ sibi persuadeant à Deo hanc afflictionē sibi immitti. Et omninò cōfirmandi sunt, vt sic se ad patientiã componant, vt si quidē benignissimo Deo ita videatur, & sibi vtile sit, omnino cōtenti esse velint, & ista, & grauiora etiã pati, donec benignissimo Patri bonū videbitur. Licet tamē etiã, hac præoptitudine voluntatis patienter tolerandi re-tenta, ad remedia confugere quæ ab Ecclesia probantur, sed à superstitione sibi caueant, quæ in hisce negotijs sæpè interuenire solet, & hominē dæmonis seruituti magis subijcit. Sicut enim morbi, & alia corporis incōmoda, vndecunq; inferantur, tanquã de manu Dei suscipienda sunt, & ad peccatorum purgationē patienter toleranda; & tamen, his non obstantibus, licet medicos cōsulere, & remedia adhibere: ita in illis detrimētis, quæ à dæmonibus inferūtur, patientia retinēda est, & peccatis suis imputare debet quisq; quæ patitur, & tamē etiã simul ad remedia Ecclesiastica licet recurrere. Sed non tanti debemus facere iacturã rerum tēporalium, vt per illicitas artes iuari & liberari velimus; quod qui faciunt, tētationi succumbunt nō multum dissimili aut diuersæ ab ea qua diabolus Christo dixit, monstrans regna mundi: *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me.* Quisquis enim superstitiosis obseruationibus remedia quærit, aut palam aut occultè diabolum veneratur aut colit. Orationib⁹ autē ex radice veræ humilitatis, & imprimis

274 **Aduersus infestationes demonum,**

Oratione Dominica, quæ omnium ordinatissima est & optima: item recitatione Symboli fidei, sed cum attentione & pietate, & similibus exercitijs fugatur diabolus, sicut ait Iacobus: *Resistite diabolo, & fugiet à vobis*. Resistitur, si neque ceditur, neque locus datur prauis inspirationibus: fugit autem tales; quia inuitos, & suis suggestionibus non volentes acquiescere, cogere non potest. Cumq; superbissimus fit, mauult non cogredi quàm nõ superare; fit tamen sæpè vt inflatus opinione suæ potentiæ, & hominum odio cæcatus, spem victoriæ sibi faciat, & eos adoriatur, à quibus turpiter superatus eijcitur: nam & à Christo Domino non abstinuit, & patientissimū lob fortiter oppugnauit, neutrum facturum si exitum prouidere potuisset. Suo enim veluti gladio iugulatur, dum insultationib' & molestijs Dei electos clariores reddit, & nihil nisi patientiæ, & exercendæ virtutis materiã subministrat.

VI. Iam verò resistentia illa de qua D. Iacob. loquitur, non tantum præstat pijs vt à diaboli impetitione maneant illæsi, sed & fiduciam addit, vt aduersus furores eius infurgere audeant, cumq; insectari, & ab alijs quos violenter affligendos vel obsidendos suscepit, expellere: quemadmodum inquit Christus: *signa eos qui crediderint hæc sequuntur: In nomine meo dæmonia eijcient, &c.* Et in hoc exercitio duplex est forma agendi, altera per preces, altera per imperium. Per preces, dum ad Deum toto corde conuersi, humiliter supplicant, vt suæ virtutis potentia, dæmonē reprimat & repellat. Cuiusmodi forma D. Antonio & alijs quibusdã pietate præstantibus familiaris fuit. Altera, dum per fiduciam potestatis, quam Christus in Ecclesia reliquit, increpatur diabolus; & tanquã victus per Christum imperiosè iubetur discedere, & locum facere. Vtramque formam Ecclesia miscet in exorcismis baptismalibus: & subinde ex altera in alterã relabitur. Inter has ea quæ precibus nititur, tum est efficacissima, si preces procedant à vera pietate, & firma fide corroborentur. Magna, inquit D. Antonius apud Athanasium, aduersus dæmones arma sunt, vita sincera, & intemerata ad Deum fides: *Credite, inquit, mihi experto, pertimescit Satanus rectè viuētium vigilias, orationes, ieiunia, mansuetudinē, voluntariam paupertatem, vanę glorię contemptum, humilitatem, misericordiam, iræ dominatū, & præcipuè corpus erga Christi amorem.* Nouit teterrimus coluber ex præcepto Domini sub iustorum se iacere vestigijs: qui ait: *Ecce dedi vobis potestatem calcare super serpentes, & scorpiones: & super omnem virtutem inimici.* His armis vsus B. Antonius, plurimos à dæmonum infestatione liberauit, de quo dicit Athanasius, quòd precibus, non potestate, dæmones eijcere solebat.

VII. Altera forma agendi per imperium etiam vltimam suam habet, dum rectè & ex officio suo adhibetur: Et si enim dæmones eijcere non sit humanæ infirmitatis, sed maiorem potestatem requirat, sicut ait Aug lib. 3. de Trinitate: Spiritus delictor regitur per spiritum iustum, &c. tamen Deus hanc virtutem

virtutem impertitur Ecclesiæ, eamq; legitimè ordinatis exercendam committit, iuxta illud quod in ordinatione dicitur Exorcistis: Accipite & commendate memoriæ, & habete potestatem imponendi manus super Emergumenos, siue Baptizatos, siue Catechumenos.

VIII. Hæc autem potestas instar cæterarum quas Ecclesia à Christo accipit, non fundatur super pietate ministri, sed super ordinatione & voluntate Christi sic instituentis, & per Spiritus sancti præsentiam, suam ordinationem confirmantis. Quod propter timidiore dicitur, ne pietatis suæ diffidentia ab officio suo retrahantur, nec tamen immemores esse debent sacræ potestatis ministri, eius, quod scriptum est: *Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester.*

IX. Hæc forma per imperium agendi cõstat exorcismis & adiurationibus, quibus licitè etiam adhibetur ceremoniæ quædam, sed non aliæ, nec aliarum rerum, quam quæ in Ecclesia approbatæ sunt. Cuiusmodi sunt impressio crucis, aqua benedicta, aut candelæ, aqua Gregoriana, vt in altarium consecratione, aut thuris sacri, aut palmæ in Ecclesia, secundum vsitatam formam consecratæ. Crucis signo ubiq; & semper cõfidenter licet vti Christiano, sed reuerenter & cum attentione rei signatæ, hoc est, passionis & mortis Christi: cuius quidem passionis & mortis tanta est virtus, vt vel vmbra eius & quilibet eius imago, quæ tamen cum attentione & reuerentia ad Christi mortem repræsentandam legitimè adhibetur, magnam vim habeat, vt adferat homini fiduciam & protectionem; diabolo autem timorem incutiat, eumque in fugam agat.

X. Adhibeantur ergo sacra signa, hoc est, sacrarum rerum signa, sed graui- ter & reuerenter, sic vt tam Exorcistæ quam adstantibus sint vtilis admonitiones rei signatæ, ne in ipsis signis magis hæere videantur, quàm ad rem signatam adsurgere. Cuius rei metum facit in quibusdam Exorcistis, multoties repetita signorum expressio, sed sæpius leuiter & cum modica significatione reuerentiæ erga rem ipsam, in qua tota fiducia collocari debebat, nec hoc eo sensu accipiatur, tanquam vel non liceat, vel inutile sit repetere crucis signum, cum id etiam in sacrificio Missæ fieri videamus: sed ne leuiter fiat, & sine attentione rei signatæ, neque sic hæreatur in multiplicatione signorum, vt ad rem non transferatur cogitatio.

XI. Quem vsu autem & vim habeat aqua benedicta, item palmæ, vel candelæ, ex vsu in Ecclesia consecratæ, ex ipsa formula cõsecrationis, attendere licet: nam dum Ecclesia ista parat, simul in ipso ritu consecrationis exponit vsu (nec in alium vsu transferri debent) & efficaciam à Deo pijs precibus impetrat. Exorcismos subministrat Ecclesia, tum in baptismo, tum aqua benedicta, & in similibus. Et quidè Exorcismi, qui sacro baptismo adhibentur & permittuntur, ad hoc propriè valent vt eijciatur dæmon, si nõ à corpore,

276 **Aduersus infestationes dæmonum,**

certè ab animo, imò à toto homine, qui sacro Baptismo perfunditur. His igitur etiam fiducialiter vti nobis licet, si redeat hostis, vnde eiectus erat: imò verò idcirco ab Ecclesia conuenientes formæ institutæ sunt; vt subinde recurrens seductor, & iterum inuadens eum à quo semel eiectus fuit, similibus armis expugnetur.

XII. Satis autem conuenit, vt Exorcista ante actionem per piam recollectionem se ad eum statum componat, qui maximè conueniat ad ferendum suppetias proximo afflicto, aduersus tam pestilentem hostem. Proinde ordiatur actionem ab inuocatione sancti Spiritus, per quam statim ab initio omnem spem expectati auxilij transferat à se in benignissimum Dominum & Saluatorem nostrum, & eodem etiam astantes omnes respicere doceat: vitet autem turbam illorum, qui curiositate vana non ad cooperandum; sed ad videndum concurrere solent.

XIII. Actionem autem ad liberationem hominis à dæmone obsessi, sic instituere potest Sacerdos: Assumpto habitu Ecclesiastico, vt minimum superpelliceo & stola, etiam afflicti collum, altera stola obuoluat, per quam quasi in tutelam eum assumat, & sibi iungat, vt in maiorem fiduciam erigatur. Deinde post humilem inuocationem sancti Spiritus, & adstantium monitionem, vt suas preces cum Sacerdotis actione coniungant.

Et muniens seipsum signo crucis, dicat clara voce:

**In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.
Amen.**

Verf. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Verf. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens Domine, Verbum Dei Patris, Christe Iesu, qui sanctis Apostolis tuis dedisti potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici; & cuius virtute victus, tanquam fulgur de celo,

cælo, Satanascēdidit: tuum nomen tremens
supplexque deprecor, vt mihi indignissimo
seruo tuo data venia peccatorum, confiden-
tiam & virtutem donare digneris, vt hunc
crudelem draconem brachij tui potentia secu-
rus aggrediar. Qui viuis & regnas cum Deo
Patre, &c. *Resp.* Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiternus Deus, à cuius facie
cæli distillant, montes sicut cera liquefcūt,
terra tremit; cui patent abyssi, quem infer-
nus pauescit: te supplex deprecor, vt inuoca-
tione tui nominis huius famuli tui (*famulæ
tuæ*) *N.* anima à vexatione liberata, ad aucto-
rem suæ salutis recurrat, liberatoremq; suum,
diabolico depulso foetore, & odore suauissi-
mo Spiritus sancti percepto, sequatur Domi-
num nostrum Iesum Christum Filium tuum.
Qui tecum viuit & regnat, &c. *Resp.* Amen.

*Tunc energumenus, si possit, clara voce dicat Symbolum Apostolo-
rum, præeunte Sacerdote, qui statim dicat:*

Vers. Benedicamus Patrem, & Filium, cū sancto Spiritu.
Resp. Laudemus & superexaltemus eum in sæcula.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotēs sempiternæ De⁹, qui dedisti fa-
mulis

278 **Aduersus infestationes dæmonum,**
mulis tuis in confessione veræ fidei æternæ
Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia
maiestatis adorare vnitatem; quæsumus, vt e-
iusdem fidei firmitate, ab omnibus semper
muniamur aduersis. Per Christum Domi-
num nostrum. **Resp. Amen.**

*Deinde dicat Euangelia quæ sequuntur, signans in principio librum,
deinde frontem, os, & pectus suum, ac postremo frontem cnergumeni: cui-
libet Euangelio præponens.*

Verf. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum spiritu tuo.

Verf. Sequentia sancti Euangelij secundum Matthæum.

Resp. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore: Accessit ad Iesum homo
genibus prouolutus ante eum, dicens: Do-
mine miserere filio meo: quia lunaticus est, &
malè patitur, nam sæpè cadit in ignem, & cre-
bro in aquam, & obtuli eum discipulis tuis, &
nō potuerunt curare eum. Respondens Iesus,
ait: O generatio incredula & peruersa, quousq;
ero vobiscum? vsquequo patiar vos? Afferte
huc illum ad me: & increpauit illum Iesus, &
exijt ab eo dæmoniū, & curatus est puer ex illa
hora. Tunc accesserunt discipuli ad Iesū secre-
tò, & dixerūt: Quare nos nō potuimus eijcere
illū? dixit illi Iesus: Propter incredulitatē ve-
strā. Amē quippe dico vobis, si habueritis fidē
sicut

sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc: & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Hoc autem genus non eijcitur, nisi per orationem & ieiunium.

Verf. Sequentia sancti Euangelij secundum Marcum.

Resp. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore: Recumbentibus vndecim ^{cap. vii.} discipulis, apparuit illis Iesus; & exprobrauit incrudelitatem eorum, & duritiam cordis, quia his qui viderāt eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & benè habebunt. Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti, prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

M m

Verf.

280 **Aduersus infestationes dæmonum,**

Verf. Sequentia sancti Euangelij secundum Lucam.

Resp. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Descendit Iesus in Capharnaum, ciuitatem Galilææ: ibiq; docebat illos sabbathis, & stupebant in doctrina eius: quia in potestate erat sermo ipsius. Et in Synagoga erat homo, habens dæmonium immundum. Et exclamauit voce magna, dicens: Sine, quid nobis & tibi, Iesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te qui sis, sanctus Dei. Et increpauit illum Iesus, dicens: Obmutefce, & exi ab eo. Et cum proiecisset illum dæmonium in medium, exijt ab illo, nihilque illum nocuit.

Verf. Sequentia sancti Euangelij secundum Ioannem.

Resp. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Dixit Iesus turbis Iudæorum: nunc iudicium est mundi: nunc Princeps huius mundi eijcietur foras: Et ego si exaltatus fuero à terra: omnia trahā ad me ipsum. Hoc autem dicebat, significans, qua morte esset moriturus. Respondit ei turba: Nos audiuius ex lege, quia Christus manet in æternum, & quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis: Et quis est iste filius hominis? Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum lumen
in

in vobis est. Ambulate dum lucem habetis; vt non vos tenebræ comprehendant, & qui ambulat in tenebris nescit quò vadat. Dū lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis.

Finis Euangelij, Sacerdos osculatur librum, dicens:

Per Euangelica dicta, deleatur nostra delicta.

Deinde ponit librum super caput energumeni. Postea imponens super obsessum extremam partem stolæ dicit:

Verf. A diutorium nostrum in nomine Domini.

Resp. Qui fecit cælum & terram.

EXorcizo te immunde spiritus per Pa-
trem, & Fi-
lium, & Spiritum sanctū,
vt exeas & recedas ab hoc famulo (*famula*)
Dei **N.** ipse enim tibi imperat maledicte, da-
mnate, qui pedibus super mare ambulauit, &
Petro, ne mergeretur, dexteram porrexit, qui
cæco nato oculos aperuit, & quatruiduanum
Lazarum de monumento suscitauit. Ergo
maledicte diabole, recognosce sententiam
tuam, & da honorem Deo viuo & vero.
Da honorem Iesu Christo Filio eius, &
Spiritui sancto, & recede ab hoc famulo
(*hac famula*) Dei **N.** & hoc signum sancte
crucis, quod nos frontieius damus, tu male-
dicte diabole, nunquam audeas violare: Per
eū qui ventur⁹ est iudicare viuos & mortuos,
& sæculum per ignem. **Resp.** Amen.

M m 2 Audi

AVdi maledicte Satana, adiuratus per nomen æterni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, Filij eius, cum tua victus inuidia, tremens gemensque discede: nihil sit tibi cõmune cum seruo (*famula*) Dei **N.** Da igitur honorem aduenienti Spiritui sancto, qui ex summa celi arce descendens, perturbatis fraudibus tuis, mundum sibi templum & habitaculum perficiat, vt ab omni penitus vexatione liberatus seruus (*liberata ancilla*) Dei, gratias perenni Deo referat semper, & benedicat nomen eius in secula seculorum. *Resp.* Amen.

Postea Sacerdos tenens manus super caput Energumini dicat:

NEcte lateat Satana, immineret tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diẽ iudicij, diemq; supplicij sempiterni, diem qui venturus est velut clibanus ardens, in quo tibi atq; vniuersis angelis tuis æternus superueniet interitus. Proinde dãnate atq; damnãde, da honorẽ Deo viuo & vero, da honorem Iesu Christo Filio eius, & Spiritui sancto, in cuius nomine atq; virtute, ego præcipio tibi, quicumque es, spiritus immunde, vt exeas & recedas ab hoc famulo (*famula*) Dei **N.** quem (*quam*) Deus & Dominus noster Iesus Christus

stus pretioso sanguine suo redimere dignatus est. Qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. *Resp.* Amen.

EXi spiritus immunde, ab hac creatura Dei, nec in eam presumas amplius introire; ipse tibi imperat maledicte diabole, qui te de supernis calorum, in inferiora terræ demergi, qui te retrorsum abire præcepit. Tu ergo nequissime spiritus, humani generis inimice, mortis adductor, vite raptor, iustitiæ declinator, malorum radix, seductor hominum, incitator inuidiæ, causa discordiæ, pater medicij: illum metue, qui in Isaac immolatus est, in Ioseph venundatus, in agno occisus, in homine crucifixus; qui deinde inferni triumphator exstitit gloriosus. Recede ergo in nomine Pa **✠** tris, & Fi **✠** lij, & Spiritus **✠** sancti, ab hoc famulo (*hac famula*) Dei, & ne amplius introeas in eum (*eam*), in virtute Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

Postea Sacerdos accepta cruce, dicat:

ECce lignum sanctissimæ crucis, fugite partes aduersæ; vicit enim vos & mundum
M m 3 Domi-

284 **Aduersus infestationes demonum,**
Dominus Iesus Christus, Filius Dei, imperator summus, Leo de tribu Iuda, radix Dauid.

Crucem det energumeno osculandam, dicens cum eo simul:

ADoramuste Christe, & benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Deinde Sacerdos dicat:

Kyrie eleison. **C**hriste eleison. **K**yrie eleison. **P**ater nost.

Vers. **E**t ne nos inducas in tentationem.

Resp. **S**ed libera nos à malo.

Vers. **E**xurgat Deus, & dissipentur inimici eius.

Resp. **E**t fugiant qui oderunt eum à facie eius.

Vers. **S**aluum fac seruum tuum **vel** ancillam tuam.

Resp. **D**eus meus sperantem in te.

Vers. **N**ihil proficiat inimicus in eo (**ca.**)

Resp. **E**t filius iniquitatis non apponat nocere ei.

Vers. **E**sto ei Domine turris fortitudinis.

Resp. **A** facie inimici.

Vers. **D**omine exaudi orationem meam.

Resp. **E**t clamor meus ad te veniat.

Vers. **D**ominus vobiscum.

Resp. **E**t cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEus qui culpa offenderis, poenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius

pitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte.

Omnipotens sempiternæ Deus, salus æterna credentium: exaudi nos pro famulo tuo infirmo (*famula tua infirma*) pro quo (*qua*) misericordiæ tuæ imploramus auxilium; vt reddita sibi fanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones.

Hostium nostrorum quæsumus Domine elide superbiam; eorumque contumaciam dexteræ tuæ virtute prosterne.

Deus qui contritorum non despicias gemitum, & mœrentium nō spernis affectum; adesto supplicationibus nostris, quas tibi pro tribulatione nostra effundimus, easque clemēter exaudi, vt quidquid contra nos diabolicæ atque humanæ moliuntur aduersitates, ad nihilum redigatur, & consilio tuæ pietatis allidatur; quatenus nullis aduersitatibus læsi, sed de omni tribulatione & angustia erepti, lati in Ecclesia tua gratias referamus. Per Dominum nostrum, & c. *Resp.* Amen.

Potest etiam dici Oratio:

Deus qui corda fidelium.

Et Oratio:

Concede nos famulos tuos.

Et Ora-

286 **Aduersus infestationes dæmonum,**

Et Oratio illius Sancti, cuius nomine vocatur ipse, (ipsa,) qui (quæ) vexatur: & Orationes aliorum Sanctorum, quos maiori deuotione colimus. Possunt dici & aliæ deuotæ orationes, cum compunctione, & cordis contritione, implorando semper misericordiam Dei.

Pfal. 34. Iudica Domine nocentes me.

Et Psal. 58. Eripe me de inimicis meis Deus meus.

Et Psalm. 67. Exurgat Deus, &c.

Et Psal. 90. Qui habitat in adiutorio.

Et Symbolum Athanasij: Quicumque vult.

In fine benedicit energumeno, dicens:

Benedictio Dei Patris ✠ omnipotentis, & Filij, & Spiritus sancti, descendat super te & maneat semper. **Resp. Amen.**

Possunt etiam suprâ dicta pluries repeti, si dæmon in vexatione durauerit.

A L T E R A F O R M A
EXORCISMORVM AD FVGANDVM
dæmonem de corporibus oppressis, vel
etiam maleficiatis.

Sacerdos indutus, vt suprâ, dicit:

In nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ✠ sancti. **Resp. Amen.**

Nos cum prole pia, benedicat virgo Maria,
Ecce ✠ crucem Domini, fugite partes aduersæ:
vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid.

Verf. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Verf.

Verf. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum Spiritu tuo.

DEus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Martyrū, Deus Confessorum, Deus Virginum, Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, inuoco nomen sanctum tuum, ac præclaræ maiestatis tuæ clementiam suppliciter exposco; vt mihi auxilium præstare digneris aduersus hunc nequissimum spiritum, & omnem qui vexat hoc plasma tuum. Per eundem Christum Dominum nostrum. **Resp.** Amen.

EXorciso te immunde spiritus, omnis incurfio aduersarij, omnis ira, omne phantasma, omnis legio, in nomine Domini nostri Iesu Christi, eradicare & effugare ab hoc plasmate Dei. Ipse tibi imperat, qui te de supernis cælorum in inferiora terre demergi præcepit. Audi ergo, & nunc Satana victus & prostratus abscede, in nomine Domini nostri Iesu Christi. Tu ergo nequissime Satana, inimice fidei, hostis generis humani, mortis adductor, vitæ raptor, iustitiæ declinator, malorū radix, fomes vitiorum, seductor hominum, proditor gentium, incitator inuidiæ, origo auaritiæ,

N n

causa

288 **Aduersus infestationes dæmonum,**
causa discordiæ, excitator dolorum, malo-
rum magister, quid stas & resistis, cum scias
Deum tuas perdere vires? illum metue, qui in
Isaac est immolatus, in Ioseph venundatus,
in agno occisus, in homine crucifixus; dein-
de inferni triumphator exstitit gloriosus.
Recede ergo in nomine Pa **✠** tris, & Fi-
✠ lij, & Spiritus **✠** sancti. Da locum Spi-
ritui sancto, per hoc signum crucis. **✠**

Hic signet cruce frontem obsessi.

Domini nostri Iesu Christi: qui cum Patre
& Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per
omnia sæcula sæculorum, **Resp. Amen.**

Si nondum recesserit spiritus malignus, Sacerdos prosequitur.

Verf. Dominus vobiscum:

Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.


Deus conditor & defensor humani gene-
ris, qui hominem ad imaginem tuam
formasti, respice super hunc famulum tuum
(**hanc famulam tuam**) **N.** qui (**quæ**) dolis inui-
di serpentis appetitur, quem (**quam**) vetus ad-
uersarius, antiquus hostis terræ, formidinis
horrore circumuolat, & sensum mentis hu-
manæ, stupore defigit, terrore conturbat, &
metu trepidi timoris exagitat: **Repelle Do-
mine**

mine virtutē diaboli, fallacesq; eius insidias amoue: procul impius tentator aufugiat. Sit nominis tui signo crucis ✠ in fronte famulus tuus munitus, (*famula tua munita*), & in animā tut^o (*tuta*) & corpore.

Hic ter faciet signum crucis in pectore, dicens:

Tu pectoris huius ✠ internacustodias: tu viscera ✠ regas, tu corda ✠ cōfirmes: in anima, aduersatricis potestatis tentamenta euanescāt. Da Domine ad hanc inuocationē sanctissimi nominis tui gratiā, vt qui hucusque terrebat, territus aufugiat, & victus abscedat, tibi que possit hic famulus tuus (*hæc famula tua*) & corde, & mente præbere famulatum. Per Christum. &c.

Adiuuro te serpens antique, per iudicem viuorū & mortuorū, per factorem tuum, per factorem mūdi, per eum qui habet potestatem mittendi te in gehennam, vt ab hoc famulo (*hac famula*) Dei N. qui (*quæ*) ad Ecclesiæ sinum recurrit, festinus discedas. Adiuuro te iterum, nō mea infirmitate, sed virtute Spiritus sancti, vt desistas ab hoc famulo (*hac famula*) Dei N. quem (*quam*) omnipotens Deus ad imaginē suā fecit. Cede igitur, cede, non mihi sed ministro Christi. Illius enim te vrget po-

testas, qui te, affixus cruci, subiugauit: illius brachiū contremisce, qui deuictis gemitibus inferni, animas ad lucem perduxit. Sit tibi terror corpus hominis: sit tibi formido imago Dei. Ne resistas, nec moreris discedere ab homine; quoniam complacuit Deo in homine habitare. Et ne contemnendum me putes, dum me peccatorē esse cognoscis, imperat tibi Deus, imperat tibi maiestas Christi; imperat tibi Deus Pater, imperat tibi Deus Filius, imperat tibi Deus Spiritus sanctus; imperat tibi fides Apostolorum Petri & Pauli, & cæterorum Sanctorum, imperat tibi martyrum sanguis; imperat tibi Sacramentum Cru  cis; imperat tibi mysteriorum virtus. Exi ergo trāsgressor, exi seductor, plene omni dolo & fallacia, veritatis inimice, innocētium persecutor. Da locum durissime, da locum impiissime, da locū Christo, in quo nihil inuenisti de operibus tuis; qui te spoliavit, qui regnum tuum destruxit, qui te victū ligauit, & vasa tua diripuit: qui te proiecit in tenebras, vbi tibi cum ministris tuis erit præparatus interitus. sed quid truculente recogitas? quid temerarie retractas? reus om-
nipo-

nipotentī Deo es, cuius statuta transgressus es; reus es Filio eius Iesu Christo Domino nostro, quem tetnare ausus es, & crucifigere præsumpsisti: reus es humano generi, cui tuis persuasionebus mortis fructum propinasti.

Si ad huc non cessauerit, aut recesserit, prolequitur Sacerdos.

Vers. Dominus vobiscum:

Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Osanna in excelsis, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui illum refugam, tyrannum, & apostatam gehennæ ignibus deputasti: qui vnigenitum tuum in hunc mundum misisti, vt illum rugientem contereret: velociter attende, accelera, vt eripias hominem, ad imaginem & similitudinem tuam creatū, à ruina & dæmonio meridiano. Da Domine terrorē tuū super bestiā quæ exterminat vineam tuam; da fiduciam seruis tuis, cōtra nequissimum draconem pugnare fortissimè, necōtemnat sperantes in te, & nedicat sicut in Pharaone iam dixit, Deum non noui, & Israel nō dimittam. Vrgeat illum dexteratua, potens expellere à famulo tuo (*famula tua*) **N**. nedutius captiuum præsumat tenere hominem,

Nn 3 quem

quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es: & in Filio tuo redemisti. Qui tecum viuit & regnat. **Resp.** Amen.

Adiuro ergo te draco nequissime, in nomine Agni immaculati, qui ambulauit super aspidem & basiliscū, qui conculcauit leonem & draconem: vt discedas ✠ ab homine, discedas ab Ecclesia. ✠ **Hic producit signum crucis super circumstantes.** Contremisce & effuge, inuocato nomine Domini; quē inferi tremunt; cui virtutes cœlorū, potestates & dominationes subiectæ sunt; quē Cherubin & Seraphin indefessis vocibus laudant: imperat tibi Verbū caro factum, imperat tibi natus ex Virgine, imperat tibi Iesus Nazarenus, qui te cum discipulos eius cōtemneres, elisum atq; prostratum, exire præcepit ab homine; quo præsentē, cū te ab homine separasset, nec porcorum gregem contingere præsumebas. Recede ergo nūc adiuratus in nomine eius ab homine quē ipse plasmavit. Durum est tibi velle resistere, durum est tibi contra stimulū calcitrare: qui quanto tardius exis, tanto maius tibi supplicium crescit: quia non homines contemnis, sed illum qui ventur⁹ est iudicare viuos & mortuos,

tuos,

tuos, & sæculum per ignem. Resp. Amen.

Si oppressus nondum fuerit liberatus, prosequitur Sacerdos:

Verf. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens Domine, Verbum Dei Patris, Christe Iesu, Deus & Dominus vniuersæ creaturæ, qui sanctis Apostolis tuis dedisti potestatem calcandi super serpentes & scorpiones; qui inter cætera mirabiliū tuorū præcepta, dignatus es docere, dæmones effugare; cuius virtute motus tanquā fulgur de cælo fatanas cecidit: tuum sanctū nomen cum timore & tremore suppliciter deprecor, vt indignissimo mihi seruo tuo, data venia omnium delictorū meorū, confidentiā & possibilitatem donare digneris, vt hunc crudelē draconē, brachij tui sancti munitus potentia, fiducialiter & secure aggrediar: per te Iesu Christe Domine Deus noster: Qui venturus es iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem.

Resp. Amen.

Adiuro ergo te omnis immundissime spiritus, omne phantasma, omnis incurfio satanæ, in nomine Iesu Christi ✠ Nazareni qui post lauacrum Iordanis in desertum
ductus

ductus est, & te in tuis sedibus vinxit, vt quæ delimo terræ ad honorem gloriæ suæ formauit, tu desinas impugnare: & in homine miserabili nō humanam fragilitatem, sed imaginem omnipotentis Dei contremiscas. Cede ergò Deo, qui te, humiliato famulo suo Iob, in seruitutem redegit. Cede Deo, qui & malitiam tuam in Pharaone, & in eius exercitu per Moysen seruum suum in abyssū demersit. Cede Deo, qui te per Daniele puerum suum perdidit, & draconem prostrauit. Cede Deo, qui te per fidelissimum seruum suum Dauid de rege Saule, spiritualibus canticis pulsus fugauit. Cede Deo, qui te in Iuda Iscarioth proditore damnauit. Ille enim te diuinis verberibus angit, in cuius conspectu cum tuis legionibus tremens & clamans dixisti: Quid nobis & tibi fili Dauid? venisti ante tempus torquere nos? ille te perpetuis flāmis vrgeat, qui in fine temporū dicturus est impijs: Ite maledicti in ignem æternum, quæ præparauit pater meus diabolo & angelis ei⁹. Tibi enim impie & Angelis tuis vermes erūt qui nunquam morientur: Tibi & Angelis tuis præparatur inextinguibile incendium, quia

quia tuus princeps maledicti homicidij, tu auctor incestus, tu sacrilegorum caput, tu artium pessimarum magister, tu hereticorum doctor, tutotius osceniratis inuentor. Exi ergo impie, exi scelerate, exi cum omni fallacia tua, quia hominem templum suum voluit esse Deus. Sed quid diutius moraris hic? Da honorem Deo Patri omnipotenti, cui omne genua flectitur. Da locum Domino Iesu Christo, qui pro homine sanguinem suum sacratissimum fudit. Da locum Spiritui sancto, qui per beatum Apostolum suum Petrum te manifeste stravit in Simone mago: qui fallaciam tuam in Ananiam & Saphiram condemnauit: qui te in Herode Rege honorem Deo non dante percussit: qui te in Barieo mago, per Apostolum suum Paulum cecitatis caligine perdidit: & per eundem de Phitonissa, verbo imperans, exire precepit. Discede ergo nunc, discede seductor: tibi eremus sedes est, tibi habitatio serpens est. Humiliare & prosternere, iam non est differendi tempus. Ecce enim dominator Dominus proximat cito, & ignis ardebit ante ipsum, & precedet, & inflamabit in circuitu inimicos suos. Si enim hominem fefelleris,

O o ris,

ris, Deum non poteris irridere. Ille te eicit, cuius oculis nihil occultum est: ille te expellit, cuius virtuti vniuersa subiecta sunt: ille te excludit, qui tibi & angelis tuis præparauit æternam gehennam; de cuius ore exiet gladius bis acutus: Qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem.

Resp. Amen.

Possunt legi Psalm. Deus in adiutorum. Psalm. In Domino confido. Et Psalm. Quid gloriaris in malitia.

Item Litanæ cum precibus suis & orationibus.

DE DISCERNEN- DIS SPIRITIBVS.



ET si donum discernendi spiritus non sit omnium; sed peculiari gratia quibusdam conceditur, & negare non velimus, quin bonorum hominum spiritus singulari dispensatione Dei reddere possunt, sicut ex Gregorij dialogis constare potest, & de Angelorum apparitionibus multa in scripturis habentur: tamen cum istis malignorum spirituum fraudes optimè sint notæ & probè sciant quantum nobis ab eorum insidijs periculi sit, nihil offendentur, si cautissimè nobis prospiciamus, & omnem insolitam apparitionem suspectam habeamus, ac proinde sicubi spiritum tumultuantem aut cientem terribiles strepitus audierimus, aduersus eum tanquam dæmonem armemur, tantisper donec aliud certissimis documentis deprehendatur. Et in hunc usum accommodari possunt, quæ de spirituum immundorum discretionem prolixè disserit D. Athanasius in vita D. Antonij ante medium opusculi, potissimum à loco ubi habet: *Nunc iam ceteras vobis Dæmonum explicabo fallacias.*

Opor-